Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 97

Quelle:
Copyright:

qua a nupero *Concill. Salisburgg.* editore *Dalhamo;* verum et is nihil ultra *Duellium* vidit, nisi quod p. 221. verba refert *Joh. Gasperii*, alias *de Gasparis* e ms. *Lutherianismi* Historia: *Habita est Synodus a Friderico IV. Archiepiscopo, cui et Nicolaus Cusanus Cardinalis interfuit* &c. quibus in verbis Viri illius fidem desideres. Non enim *interfuit* modo, sed praefuit *Cusanus*, ut tenor Decreti *ead. pag.* docet: *Idcirco sacro Salzburgensi Concilio, cui Authoritate Sanctissimi Domini nostri Domini Nicolai Divina providentia Papæ V. præsidemus* &c. Ita et in Cod. nostro *fol.* 390. p. 2. *presidente reuerendissimo domino Nicolao tunc sancti petri ad vincula presbitero Cardinali* &c. Sed haec ἐν παροδῳ. Jam Acta ipsa enumeremus. 1) Norma *Jubilaei* a *Cusano* data incolis *opidi Wienn.* Templa ad preces pro venia noxarum fundendas adsignat *ecclesiam matricem sancti stephani alias omnium sanctorum et eius filiam videlicet ecclesiam sancti michaelis, Monasterium beate virginis scotorum ordinis sancti benedicti et Capellam ejusdem glorioſissime virginis marie in littore.* 2) Similis Norma data *3tia Febr.* incolis *Salczburgensibus*, et *Dioecesibus Gurczen. Seccouien. kyemen. et lauen. que in dicta Dioc. salczburgen. incluse sunt.* 3) Literae supplices Abbatis et Conventus *Monasterij lambacensis ord. S. B. Patav. Dioc.* in superiore *Austria* ad Card. *Cusanum* pro obtinendo conscientiae Arbitro, qui Coenobitas ab omnibus peccatis, etiam reservatis, absolvere possit, et pro *Jubilaei* participatione. 4) *Leonhardi* (a Layming) Ep. *Passav.* Norma *Jubilaei* a *Cusano* pro sua pariter Dioecesi impetrati. *Data Pat. XX. die Mens. februarij Anno &c. quinquagesimo primo.* Omnia haec non ita comparata, ut iis faveant, qui res Ecclesiae illorum temporum tanquam ad perniciem profligatas deplorare amant. Cetera *Codicis* intervalla, ut jam monui, Adversariis e scholastica Theologia carptis occupantur. Haec ad *fol.* 125. his literis insigniuntur: *M. P. W. d. k.* quibus compilatorem vel possessorem produnt *Magistrum Paulum Wann de kemnat* Palatinatus super. oppido, cujus, uti et *Conradi* fratris, jam superius memini. Viros hos e Patria sua secundo *Istro*, ut mos, ad nos defluxisse, et *Conradum* quidem sacris non initiatum fuisse suadent ea, quae olim e vetere membrana notavi, et sic habent: *A. D. 1487. extremum clausit diem Conradus Wann ciuis Budensis in die s. Romualdi*, et prius: *A. D. 1484. 10. Sept. missus est Jeronimus Wann per genitorem ad magistrum Paulum patauien. Canonicum*, et ante istud: *A. D. 1484. 12. Aug. sub hora 3. et 4. ante meridiem obiit genitrix Margareta Pauli Wann.* Unde confici possit: Translata *Budam* familia *Conradum* absolutis *Viennae* literarum studiis ibidem civitate donatum, et filio *Hieronymo* auctum liberalioris institutionis ergo hunc *Passavium* ad Patruum opimo Sacer-